

www.e-rara.ch

Historiam venaesectionis

Bauhin, Johann Caspar

Basileae, [1662]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-18362>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Divino Omnipotentis auxilio
Historiam

VENÆSECTIONIS,

PERMISSV

SPECTATISSIMI, & AMPLISSIMI
Medicorum Conventus,

sub

TUTE LA

VIRI Magnifici, & Gravissimi

DN. IOH. CASPARI BAVHINI,
Phil. & Med. Doctoris, Practic. Professoris
Ordinarii, nunc Vniversitatis
RECTORIS,

In publicum Eruditorum examen offert

Ad diem 18 Octobris,

Anni à Jubilæo secundo secundi almæ
Vniversitatis patriæ

IACOBVS ROTHIVS,
A. M.



1662

BASILEÆ, Typis IOH. JACOBI DECKERI,
Academiæ Typographi.

Catalog





V I R I S

Excellentissimis, Clarissimis

DN. REINHARDO ISELIO,
Phil. & Jurium Doctori Sapiantissi-
mo Consultissimo, Professori Phil.
pract. Prudentissimo.

DN. JOH. HENRICO GLASERO,
Philosopho, & Doct. Medico Suba-
ctissimo Peritissimo.

Cognatis suis alteri ex patre, ex matre alteri
jugiter colendissimis

sub secunda hac Disputatione

*Obsidem se dat in sempiternum strictis-
simum & devotissimum*

M. JACOBUS ROTHIIUS,
Author.

Lectori Salutem.

Illud Philosophorum, Mutatio fit à contrario in contrarium, olim Princeps Gal. iis stabilivit verbis: quò quid perfectius, cum integram naturam servat, eò fit deterius, cum ab illa degenerat. Sexcentis ante annis, Magnus Hippocrat. innotuisse notat, exemplo Medicina, initio Legis suæ, inquiens: Medicina omnium artium præclarissima est. Verùm propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro Medicis judicat & habet, jam eò res devenit, ut (ô tempora ô mores!) omnium artium longè vilissima censeatur. Ego Venæsectionis exemplo sentio, præsidii aliqui præstantis, utpote validi & celeris. Sed præter hoc facti quàm juris Questio est obscurior. Eapropter ut jure & ritè fiat, & simul vindicetur contra quemvis contemptum, ejus Historiam, examini tuo submittere, mecum constitui, quam ubi observaveris, ob lucrum sanitatis non pænitebit dispendii sanguinis. Vale.

T H E S I S . I.

Therapia Venæsectionis, Φλεβοτομία græcè, Therapia universali edoctus, (prætermisiss Nominis ratione, & Rei quidditate ceu notissimis) persequi consilium est, Vim, Quantitatem, & utendi Rationem.

2. Vis insignis est, & supra omnium Vacuationum potestates, in sanis & ægris. Sanis ut nunc, quibus lubrica est sanitas,

vitio humorum, quā aut in vasis peccant quantitate vel qualitate, (prius Plethora est, Caco-chymia posterius), aut quā ἀθρόως ex iis effunduntur foras per nares, uterum, mariscas, seu in partem, ut meninges, laryngis musculos, pulmones, pleuram, diaphragma, hepar &c. facturi *Φλεγμονῶν*. Aëgris ob morbos inde profectos. Illis ut arceantur morbi: His ut curentur: Utrisque simplicis evacuationis gratiā, aut revulsionis, aut derivationis, aut refrigerationis.

3. Quippe Plethoræ est conveniens remedium, Plethoræ, inquam, tum quæ pura est, & simplex dicitur, tum quæ caco-chymix particeps, impura nominatur. Puræ utriusque, ad Vasa sc. ubi, aut 4. succorum servata proportionē æquabilis est redundantia, aut sincerioris sanguinis summa ubertas, & ad Vires.

4. Ad Vasa, quia plenitudinem subtrahendo dolores tensivos placat, gravi pondere sublevar, vias & spiracula reserat, Caloris Nat. ventilationem mole oppressam revocat, corpus suis functionibus alacrius restituit, eādem operā impedit, vasa ἀνασπασθῆναι, vel dirumpi, Cal. Nat. extingui ex generali obstructione, ne vires, alioqui validæ, laqueo veluti strangulentur. Quibus quid aliud facit, quā quod præservat ab hæmorrhagiis, inflammationibus omnis generis, ardentissimis febribus, & ipsa morte repentina.

5. Ad Vires, nam Virium imbecillitati succurrit, ne qua putredo humorum vel corruptela emergat. Dixi supra, quibus lubrica est sanitas, h. e. quorum cervici jam jam imminet vel phlegmone, vel putredo, vel aliud quid id genus malorum. Quod ideo moneo, quoniam si nullius ejuscemodi mali præsentis, sive in propinquo, metus est, in hac plenitudine, utilius subducitur inedia vel parciore victu.

6. Esto autem, Ei, quæ ad Vasa est, celerior: Huic parciior. Ibi semper: Hic rarò, tum sc. cum malum in prociñctu. Singula ideo: Celerior ei quæ ad Vasa est, quia magis urget: parciior huic ob pauciorē sanguinis molem. Ibi semper, quia nunquam est sine gravium malorum discrimine: rarò hīc, quandoquidem sæpe cruditas conjuncta circa cava hepatis & mesenterium, quæ subiret locum exhaustum.

7. Quod

7. Quod ad Plethoram impuram, seu notham, tam quæ est cum putredine, quàm cum alio humore excedente, bile, melancholia, pituita, unde biliosa nuncupatur, melancholica, pituitosa, detracta oneris & gravitatis causa, naturam erigit, ut quod superest tantò facilius edomet, coquat, exigat: aut, si arte opus, locum commodum cedat Purgationi per Cathartica. Puræ quò fuerit ea ipsa similior, eò tutius id auxilii genus sibi poscit. Quantò longius citra ultraque sanguinis naturam recessit, tantò parcius & cunctantiùs usurpandum.

8. Num etiam in Cacochymia (de simplici & exquisita loquor, Notham superior sermo attigit,) utilitatem afferat, docuerunt Continuae Febres, quum etiamnum cruditas & putredo in venis est, ubi misso sanguine, urinæ prius crassæ turbidæ & rubræ, mox clariores effunduntur notis coctionis.

9. Hinc hallucinantur, qui inficias eunt, tutissimè venam aperiri in Plenitudine ad Vasa: Minus tutò in ea, quam ad Vi-res vocitant: Inter Impuras tutissimè in biliosa, nonæque tutò in Melancholica, minimè in pituitosa.

10. Item, qui constanter asserunt, simplicem cacochymiam & mitiorem & deteriolem, respuere sectionem Venæ.

11. Ut & Sanguinem putrescentem.

12. Verùm enim verò ita in impura Plenitudine, & simplici Cacochymia, concurrent duo præclara, ast contraria, præsidia Venæsectio & Purgatio. Quæres, Utrum alteri oporteat præmitti? Ajo à Venæsectione incipiendum. Etenim, exuperantiam imminuens, viam facit liberam, in univèrsum corpus, medicamento, ut, tantò faciliori negotio, rem sibi commissam, expediat. Quod aut minimè, aut leviter admodum, faceret præposterè propinatum, propter humorum copiam, & hinc ortam meatuum angustiam. Imo contra, in deterius periculum adduceret, calore suo & trahendi facultate, humores exagitans, & plethoricum corpus conturbans.

13. Extra venas prorumpentis sanguinis, unicum remedium est Revulsio: Illapsi jam sed adhuc mobilis, Derivatio, docente Gal. 2. ad Glauco. 7. & 13. Th. M. c. 1. *Influentium revulsio. Obsidentium derivatio &c.* Atqui Venæsectione commodissimè, ut commodius nihil, tum revellere, tum derivare possumus, nedum vacuare simpliciter.

14. Revulsionem vel Ἀντίρρῳσιν definiunt, influentis humoris in contrarium retractionem, & benè: siquidem revulsionis est, fluxionem ab affecta parte, versus originem suam, undefluere cœpit, retrahere & arcere.

15. Ex quo, necessitate quadam, Vena, per quam revellimus, communicat cum mittente & non recipiente.

16. Hinc non ad proxima, sed longinqua revellendum, idque κατὰ τὴν secundum rectitudinem. Nam contraria sunt, quæ in ejusdem venæ processu, per quem est humorum cursus, quàm longissimè distant.

17. Κατὰ τὴν, inquam, ἡ ὁμογενείαν, non eam quidem, quæ Naturæ Rectitudinem nuncupant, qua dextra dextris, & sinistra sinistris respondent, sed quæ fit per manifestos venarum ductus, & nihil est aliud, nisi vasorum directio, per quam humorum deductiones, promptè & validè, ex uno in aliud, fieri possunt.

18. Quam perinde est æstimare secundum rectitudinem fibrarum, vel directum venarum processum.

19. Sine qua, sursum deorsum, ad dextram sinistram, antero, intro foras, contraria non sunt.

20. Derivatio παραχέτευσις Revulsionem, ut re ita doctrina, excipit. Est, illapsi jam humoris, tractus in vicinum latus. Respicit enim materiam, quæ partibus jam accessit, ibidem adhuc fluctuat, nondum impacta, ut refluendi spes evanuerit. Quapropter & hic communionis esse locum, statuit rectè Gal. citato loco, statim annexens, *Utrumq; vacuationis genus, fieri debere per communes venas.* Sed aliùs, nimirum cum parte affecta, interventu venæ, in eam insertæ, directo processu. Communio ista alia, alia requirit loca, proxima nempe non remotissima.

21. Tantum potest Venæsectio contra interiores causas. Quis anceps pendebit, de eadem ejus benignitate, morbis præsentibus, quos illæ ipsæ causæ protulerunt? Scitum est præsentium & futurorum, unam esse communem medendi rationem.

22. Morbi ii sunt omnis generis. Universales quidem luteri,

Interni, Synochus simplex & cum putredine, Causus, & reliquæ febres continuæ, in venis majoribus fonte & fomite delirescente. Quin, Intermittentes puræ, urgente Plethora, aut symptomatis fervidis, quæ sunt, pulsans dolor capitis, corporis jactatio, æstus suffocans &c. de quibus prius apud ægrum solerter inquirendum, an vi bilis, circa cordis scrobiculum effervescentis, orta ea sint.

23. Externi in habitu corporis ἐκθύματα, ἐξανθήματα, scabies humida, carbunculus, furunculus &c.

24. In partibus, Ρεύματα à dorso ad cubitum 6. aph. 22. ὀδύνας ὀφθαλμῶν 6. aph. 31, & 7. 46. Dolores in postica capitis parte 68. l. 5. Στραγγερίη 48. l. 7. Δυσσερίη ibidem & 6. 36. Item Phrenitis, Parotis, Angina, Peripneumonia, Pleuritis, Hepatitis, Splenitis, Nephritis, Summa, omnes Inflammationes exteriores & interiores. Porro Lethargus, Vertigo, Apoplexia quædam, quædam Epilepsia, & cordis Palpitatio. Connumero Anniversarios latente plenitudine & causa.

25. Nec his tantum salutaris est Venæsectio, verum etiam fauciatibus, iſtiſ, contuſis, citra plenitudinem, quin in penuria ob conjunctos dolores, vel ardores, metu inflammationis, quam facile proritare possunt.

26. Ita constat Vis Venæsectionis ad præcautionem & curationem. Deinceps, quantitati emittendi sanguinis, incumbam, petam eam ex suis, quibus stipatur circumstantiis, tot tantisque, ut propemodum à Gal. verba ex 3. Th. M. c. 3. mutuo acceperim, quibus monet: *Eam nec dici, nec scribi, nec omnino percipi posse.* Earum sunt tres internæ, docente Cl. Fernel. l. 2. Therap. Univ. c. 11: *Aetas, Temperamentum, & Habitus.* Totidem externæ & adventitiæ, *Aëris videl. constitutio ex anni tempore regione & ventis: Vacuationum ἀμετρία: consuetudo victus, vitæ generis, & ipsius venæsectionis.* His necesse *Imprægnationem.* Superſunt *Aegri vires, & Morbi magnitudo,* quæ duo potissimas omnium largiuntur Indicationes. Potior tamen virium quàm magnitudinis morbi Observatio. Illarum igitur primus & supremus esto locus.

27. In virium constantia & robore, quantum morbus desiderat,

derat educendum. Quavis ex causa prostratæ, nullam ferunt, sanguinis emissionem vel morbo exigente. Imbecilles interdum copiosam. Mediocrestutò utilem, tamen si non perfectam, sicut valentes. Usque adeo tamen debilitari nequeunt, ut ne minimam tolerare possint.

28. Morbus magnus, ex se, ex causæ perniciæ, vel symptomatum crudelitate, largam poscit. Mediocris moderatam, quæ semper ex usu, rarò necessaria. Exiguus aut nullius, aut exiguæ, est indigens.

29. Ubi virium vigor & magnitudo affectus coeunt, ut Athletarum *ὁ ἐξίας*, februm ardentissimarum, phlegmonum maximarum, maximorum dolorum, vah! quantum detrahendum? ad animi deliquium usque, dummodo æger tolerando sit, attestatur Gal. comm. super hæc Hipp. verba. 1. aph. 23. *Si vel ad Lipothymiam usq; movendum faciendum id sanè, modò ager par esse possit.* Ad animi dico deliquium, *exclusivè & inclusivè.* Mediocris morbus, in virium flore, tantam securè perfert, quantum desiderat quantitatem. Mediocris in mediocritate virium, mediocrem feret utiliter. Si viribus morbus extiterit superior, ad multam vacationem necessitans, ne vita cum sanguine profundatur, simul & semel vacuandum non est, sed per *ἡμέρας*, bis, ter, sæpiùs eodem, vel postero die, pro conditione virium & morbi magnitudine, nimir. In acutis, maximè universalibus, carbunculis & bubonibus venenatis & pestilentibus, eodem die, si vires annuunt, cunctari etenim in hujusmodi affectibus calamitosum semper. Malum si adeò non premit, & minùs fidei est in viribus, tardiùs reiterandum. Revocentur interim vires aceto, decubitu, diamoscho, aut aliis analepticis & cardiacis.

30. Ab his abeo ad minùs præstantes Observationes, justæ educendæ sanguinis copię, citra notabilem virium jacturam. Dico notabilem. Quia è duobus malis minus eligendum. Virium vel levisissima debilitatio, mala est, sed pejor morbi victoria. Aliqua ergo debilitatio metuenda non est, ut pari labore morbus eradicetur. Ita bonum è malo evenit, quod optandum. Ita imitamur Naturam, quæ in Judiciis aliquid virium suarum, for-

rum, fortiter in discrimen offert, ut excutiat perfectè materiam morbosicam. Ita imitamur nostrum Parentem Hipp. Cui, ut morbum simul tolleret, vires, licet infirmas, victus tenuitate magis debilitare pulchrum fuit.

31. Tenella puerorum ætas, quippe quæ est in corpore calido, humido, molli, tenero, parenti, ex se habet unde multum vacuetur. Decrepita est exhausta, & languidi caloris. Ætates interjectæ sunt benehabitæ & robustæ, quoad vires. Hæ igitur vacuandi præsidia nulla metuunt. Illæ utique, at nolim intelligi, quasi puerulis & ἐλαττοτέρῃσι nunquam possit vena aperiri. Quas hactenus proposui Observationes Aphorista noster conjungit lib. 4. de rat. vict. in acut. fol. 500. edit. Froben. in fol. *In acutis morbis venam secabis si vehemens appareat morbus, & qui ipsum habeant, in vigore ætatis fuerint & robur ipsis affuerit.*

32. In Temperamento calido & humido, propriæ partium substantiæ, ob assiduam dissipationem, in copia subducendorum, cautius agendum.

33. Habitus eufarcus, firmus, & densus, præprimis turgescente venarum amplitudine largam sustinet faciliè. Non æquè mollis, rarus, macilentus. Mollis, quia dissipationi plus satis obnoxius, præter imbecillitatem. Densus non adeò. Pinguem quod attinet, minimum quidem diffatur, veruntamen non est alacri & vegeto calore, & exilibus venis, quas inanitas pinguedo faciliè stringit, ut metus sit, ne Calor Nat. extinguatur, quodere difficulter sustinet nostrum Vacuationis genus.

34. Aër, quò fuerit temperatior & tranquillior ex anni tempore, regione & statu, eò largiorem admittet vacuationem. Quò remotior abierit à medio versus extrema, eò parciorem. Igitur, Austro vel Aquilone inclementius infestante, difficiles ut Purgationes, ita Venæsectiones. Perdifficiles, sub cane, & ante canem, ut & hyeme media, sub zona torrida, & plagaboreali. Aptissimum, ut definitius de Temporibus anni loquar, est Ver, post Ver Autumnus, dein Hyems, Æstas minimè. Collatis inter se Regione fervida arida, & frigida humida, non quidem impensè talibus, quæstio est, utri magis ex usu φλεβοτομίας? faveo intrepidus frigidæ humidæ, adductus vi frigoris,

quod calidum innatum intus coërcet, cum humoribus, quorum minimum per ἀδελον διαπνολω dissipat: fecus quàm vis caloris regionis contrariæ. Accedit humiditas, quæ humores auget, quos siccitas minuit.

35. Vacuationes solennes narium, uteri, ani, suppressæ omnes, quàm maximè, artificialem istam sanguinis missionem permittunt, imò, eò invitant. Excedentes verò mediocritatem, non requirent aliam, nempe corpore puro ab omni alio vitiorum genere, incisionem venæ evacuationis gratia. Ubi fecus, viribus refocillatis, (quas quæso semper introspecte,) nihilominus incisione opus.

36. Nec tantum solitarum est ratio habenda, sed & spontaneous aliarum, ut sunt Vomitiones, Diarrhœæ, sudores &c. quæ materiæ morbificæ si nihil dempserunt, Venæsectionem non excludunt. Excludunt, si usque eò eam imminuerunt, ut manifestè patiens sublevetur à Symptomatum sævitia. Sin languidior Natura operatur, Coëffusionis est indigens. Etenim, quæ ipsa sponte perfectura est, ne tangito, porrigito auxiliares manus, quando ab imperfecta crisi restibilis fuerit materia morbifica tanquam μίαισμα, cui natura par non est, metu recidivæ. Alterum expressè præcipit Oraculum solidæ veritatis. 1. aph. 20. τὰ κρινόμενα, καὶ τὰ κεκρυμμένα ἀπλῶς &c. *Quæ judicantur perfectè, quæq; judicata sunt exquisitè, nullo modo movenda, neque novanda, neque medicamentis purgantibus, neque aliis irritamentis, sed missa faciendæ.* Alterum subinnuit 2. aph. 12. *Morborum reliquia, quæ à crisi supersunt recidivas parere consueverunt.*

37. Hinc in pleuritica, sub mensium fluxum, venam secare licet: uti etiam in morbis malignis apparentibus jam exanthematis.

38. Concedendum quid quoque Consuetudini, ex 1. aph. 17. quod 1. 2. aph. 50. confirmatur iis: *Consuetudo longo tempore, etiam si deteriora sint insuetis, minùs molesta esse solent.* Idcirco respectu ipsius Venæsectionis, Consuetus faciliùs feret Inexpertus; (cæteris semper paribus) respectu Vitæ generis, Otiosus Exercitato; Virius, Temperans Gulo.

39. Imprægnatio à Venæsectione non defendit. Quinimo multæ

multæ abortiunt, nisi tertio vel quarto mense sanguinem mittant. Exempli loco produco Uxorem Julii Folchii sanguineam & biliosam, ex Amati Lusitani, curat. 89. cent. 2. *quæ tertio mense fætationis semper abortiebat, & in vitæ discrimen veniebat, usque tandem, citatus Author, malum præcavere volens, jussit, quum deinceps uterum gereret, & perturbari angig, inciperet, illicò, (vel Medico absente) mediam venam cubiti, communem vocant, secare, sanguinemq, ad semilibram extrahere. Quæ quum postea sic cautè & providè, debito tempore, sanguinem demeret, illi partus, sælix & propper, semper subsequabatur.*

40. Ergo optimè Celsus c. 10. l. 2. oculos jugi aspectu in virium & morbi magnitudinem desigens inquit: *Firmus puer, robustus Senex, & gravida valens, tutò sic curantur.*

41. Cæterùm, Medicus cautus, (præter quæ sunt & fuerunt) dispositorus de præsentis Venæsectionis exquisitiori pondere, non susque deque habet futura, sed studet observare Cœli constitutionem, calida & sicca, an deinceps, talis futura? an ægrotus tenuiter victurus? incurfurus, quæ summopere vires enervare & circumcidere possunt? uti sunt dolores vehementes, vigilæ, vacuationes insignes, syncopes &c.

42. Quod ad Frequentiam, Venæsectio, per ætatem, crebrò & frequenter in usum vocatur, cum periculo, immaturæ senectutis, obnoxia cachexia, hydropi, tremori, paralyfi, apoplexia, arthritidi.

43. Ita seorsim mensuras fundendi sanguinis decurri: quæ cum sint dissimilis efficaciz, & multipliciter implicabiles, judicii accurati, longive usus, quàm valdè sunt indigentes. Qui sibi diffidit, de justa mensura pendenda, potiùs infra subsistat: liquidem, *extrema inanitio non molienda*, inculcante Hipp. 1. aph. 3.

44. Superest Utendi Ratio, *quæ vena tundenda, quo affectus tempore, qua die & hora, qua forma & modo.* Venæ, quas communiter Artifices feriunt suis scalpellis, sunt, in brachio, Exterior & Interior. Illam Cephalicam seu Humeralem nominant, hanc Basilicam, & Jecorariam in dextro, Lienarem in sinistro. Quæ ex utriusque commissura emergit, Mediana est, & inter pollicem indicemque excurrrens, Ocularis nomine venit, exterius ad auricularem & annularem, Salvatellæ. In pedibus

poplitea & malleoli Saphæna. Dixi communiter, nam in doloribus capitis, oculorum, aurium, gingivarum inflammationibus, angina, venæ frontis, puppis, in oculi angulo alterutro, sub aure, labiis, lingua derivationis loco inciduntur.

45. Dicunt, aperiendam signari, situ partis laborantis, cum qua debeat ei intercedere cognatio, directa insertione. Igitur Humeralem, partes afflictas supra claviculas, in cubito quidem validius & celerius juvare, tardiùs, ubi salvatellæ nomen acquisivit. Basilicam, partes inter claviculas & renes, majori impetu in gibbero, quàm inter pollicem & indicem. Medianam ab utrisque vacuare & revellere. Poplitis, partes infra renes, si validius & promptius: malleoli, si segnius & parcius subtrahendum. Ambigere renes, sub Nephritide incisione poplitis juvari: Basilicæ ex phlegmone laborantes à sanguinis plenitudine: In morbis universalibus, & harum causis interioribus, si vitium in majoribus vasis, Jecorariam maximè idoneam esse. Excipiunt quartanas & cacochimicam melancholiam, habito respectu, ad situm lienis in sinistris siti, è regione hepatis, ratione cujus, autumant magis ex usu esse sectionem in lienari, quàm hepatica vena. Excipiunt plenitudinem à suppressione mensium & hæmorrhoidum, in qua, cædunt popliteam vel saphænam, ut sanguis impetu deorsum vocatus prorumpat *ἡ τῶν συμπερόνων χωρίων*. Si animus, in totum delendi solemnità hæcce, sufficiunt in locum popliteæ, Jecorariam dextri gibberi. Defensuri à futuro morbo, partem, cujus vasa faciliè diducuntur, rumpuntur, aut quæ, levi occasione, fluxionem excipit, aggrediuntur venâ quàm longissimè è directo sejunctam.

46. Docuit me, ortus & productus venarum, in brachio tundendo interesse prorsus nihil, quæ aperiatur, basilica, cephalica, vel nigra.

47. Sinistrum brachium hoc respectu cum liene non majorem dextro societatem habere, & quod ex hoc sequitur, in quartanis Jecorariam præstare quod Lienaris.

48. Sinistri & dextri gibberi, ratione fontis, eandem esse rationem, propterea scrupulosè non esse quærendum, seu intendatur Vacuatio simplex, seu revulsio, in utro cædendum.

49. Sini-

49. Sinistri brachii, cum dextra pleura, interventu thoracicæ, esse exiguam communionem. Quocirca in pleuritide præfenti & magna, utiliore esse sectionem venæ in eodem quàm opposito brachio. Nam præterquam quod æquè revel-
lit, & vacuat, à fonte mittente, atque ea quæ est ex opposito, validiùs in super, & celeriùs, & copiosiùs trahit à parte affecta, quàm à cæteris, in quo omne studium ponendum. Si feriretur oppositi, sanè, ex ægro loco, aut nil revelleret, ni priùs omni sanguine bono vacuato, aut vitiosum puro confunderet, aut oppositam pleuritidem inveheret.

50. Ergo Arabum dogma, in pleuritide magna, pleni corporis, non minùs erroneum est quàm truculentum, quo jubent plenitudinem primò demere in pede: postea fluxionem sistere sectione adversi cubiti: postremò reliquias ex latere ægro derivare.

51. Ostendi, quam conveniens sit, in quovis affectu, secari venam. Nunc de Tempore statuam. In interioribus causis, quàm primùm, antequam oriatur venarum ἀνασφύωσις, laceratio, insignis obstructio, unde mors: corruptela, putredove summa, humorque in parte collectus obfirmetur.

52. Quod ad Tempora morborum universalialia: In principio, per quod vires validæ & robustæ, ut quod in posterum gignendum, non gignatur, genitumque tantò citiùs, & faciliùs, evincatur, minimè gentium concoctio expectanda, quod dixerim contra Avicennam.

53. Particularia: In morbis, qui per circuitus recrudescunt, in intermissione, vel remissione, in quamcunque diei vel noctis horam inciderit. Alioqui matutina convenientior, secunda, tertiave post somnum, quàm pomeridiana. Nam diei lumine, dominium, sanguis tenuior & serenior factus, recuperat, præsertim si astra propitia. Dummodo non sit, suffocans pleuritis, præfocans angina, *Λεξία* Athletarum distendens, aut alius morbus præceps, ubi periculum in mora vel minima.

54. Circa modum & formam Venæsectionis, ante, in ipso actu, & post sequentia tenenda. Quæ antecunt præparationis loco in clementia morbi, pertinent ad vitia primarum viarum,

quæ sunt earum cruditas, & impuritas, ab alvi adstrictione, exquisitus ventriculi sensus, vel imbecillitas, & vitiosorum humorum colluvies. Cruditatem quidem, & Impuritatem emendant concoctio, & Excrementorum descensus, qui si ultrò non fit, per artem clysteribus, balanis, prunis, &c. concitandus. Si prius administretur Venæsectio, quam tempus cruditatem hæsternorum ciborum emendarit, & prima regio à suis sordibus repurgata fuerit, raptò, crudo, vel fordido in venas, erratum posterius, priori fiet deterius. Eximius sensus vel imbecillitas corrigitur ventriculi corroboracione, acrium humorum retentione, & aversione, per succos mali cotonei, limonum, citrei, punici, & alia præsidia idonea. In frigida intemperie conveniunt calida aromatica, qualia sunt Syrupus menthæ, diacodonium &c. Colluviem humoris corrupti, sive illic genitam, sive aliunde *καὶ μετέστασι* delatam, quæ multò magis pollueret vel cruditate, vel impuritate, tollit Purgatio per superiora aqua tepida, hydrelæo &c. Si humor *αἰσχροπός*. ἢ *κατάρροπος* per inferiora, rhab. senna, agarico, hierapicra &c. Colluvies ista, horum vitiorum si quicquam, in totum præpedit, non solum retardat Venæsectionem. Idcirco hydropicis, cachecticis, quibus jecur, aut lien scirrhusum, venam non aperimus.

55. Morbo plus nimis sæviante, absque præparatione, acceditur ad rem.

56. Actus taliter instituitur.

Decumbenti ægro, tranquillè partem pronam, prægressâ dum incalescat frictione, liga, supra proximè, & infra locum incidendum, supra, ut vena se conspectui objiciat, infra, ne è sede disiliens, scalpelli ictum subterfugiat, arctè, præsertim si sit æger *πολύσπινος ἢ πημελόδης, καὶ παχύς*. Parva in manu, vel extremo pede, si sectio usu venit, demittenda pars in aquam calentem, ut minores venulæ impleantur, & sanguini impetus fuscitur. Sede explorata, digitorum impulsu, membrum unâ manu stabiliendum: vena verò pollice membri in artubus superioribus firmanda. Alterâ quàm mox scalpello, mucronis quantum satis est ad penetrandum prolato, incide, ea industria & cautione, ne arteria, nervus, tendo, vel inflatus locus, pro ve-

na pe-

na petatur. Etenim, fortiori ligatura, interdum quid, venæ simile, tumescit: sub basilica, arteria fere comes est, quæ vinculo coarctata, subinde pulsu vacans, venam ementitur: sub media nervus, & sub utrisque tendones, quibus læsis, dolor fit ingens, stupor, convulsio, tumorque. Vulnus, pro tenuitate & crassitie sanguinis, amplius vel angustius fiat. Amplificare sectionis errore turpe. Utilis est in segniore fluxu, ex crassitie, aut alia causa, muscutorum tusi vel voce valida contentio, & relaxatio vinculi sup. Fiat in rectum nunquam in flexuris, nisi partitè sanguis mittendus. Prodest medium cursum, dum vires reficiantur, admoto digito intercipi. Non ante obthura, quàm fudisti, quantum fundi oportuit, nimirum in Plethora simplici, ablata ad mediocritatem plenitudine: In morbis universalibus infra mediocritatem: In inflammationibus magnis, ad substantiæ & coloris mutationem: In doloribus atrocibus orta mitigatione, si vires defectione non obstant. Eas defecturas, certissimè præfagit, pulsus mutatio in languidum, parvum, tardum, inæqualem, insuper labascens fluoris impetus, faciei pallor, oscitatio, pandiculatio, marmarigæ, aurium tinnitus, singultus, nausea & cardialgia ex Vacuationis quantitate, non metu.

§7. Quæ post Venæsectionem fieri convenit, hæc sunt: Sanguine ut decet excepto, scil. pelviculis pluribus, iisque ter-
fis seponendis, in loco mundo, & securo, ilicò dissolvendū vin-
culum, vulnus exiccandum, ut coalescat, & præcaveatur futu-
rus abscessus, reformatio: mox, linteo rosacea, vel dulci aqua
imbuto, oportet custodire, fasciis lintheum devincire. Nervo
vel tendoni ubi læsus fuerit, conferet, Emplast. è cerussa, in
ambitu cataplasma ex sempervivo, solano &c. Arteriæ læsæ
Emplast. ex alœ, myrrha, thure, bol. arm. cum ovi albumine
& pilis leporis instratis linteo aqua imbuto. Hinc æger res-
upinandus & quieti, liber ab omni exercitationis & perturbati-
onis genere dandus, non tamen protinus somnò, ut sanguis
pro rata parte diffundatur, Spiritus resarciantur, secus cum ca-
lore incitati effervescerent, dissiparentur, vel obruerentur. Ho-
ra una aut altera post, pastus ineundus parca manu euchymus,
cupeptus, morbo & naturæ consentaneus. Post duas, à cibo
nempe

nempe, somnus concedi potest. Caveatur interim à situ partiũ
pravo, qui vulnus resignet. Ad diætam pristinam sensim ascen-
dendum. Qui ad intemperantiam consuetam, tanquam
canis ad vomitum, properant, frustra & stultè
perdiderunt sanguinem.

C O R O L L A R I A.

- I. Fœtus, utero contentus, ore cibum non capit.
- II. Quapropter nutritio per os in utero, à quovis
astruitur heterodoxè, etiamsi ab Hippocr. & Demo-
crito astrueretur.
- III. Ajo si astrueretur, nam dubius sum num asse-
rant eam.
- IV. Quæ si esset ex natura & opinione Democriti,
heterodoxias Democritus convinci nulla ratione pos-
set circa nutritionem fœtus in utero.
- V. Porrectionem venarum lactearum ad uterum,
nullæ rationes persuadent.
- VI. Quorsum fingendi tubuli peculiare per pla-
centam uterinam, in chorion & amnion.
- VII. Vita hominis est 7. dierum.
- VIII. Omne alimentum frigidum, auget calidum
innatum.
- IX. Inedia quam accendit bilem extinguit.
- X. Calor natus nec cœlestis, nec elementaris est.
- XI. Alimentum, dum assimilatur dissimilat, &
dum dissimilatur assimilatur.
- XII. Alimentorum omnium, unum est principiũ,
& finis omnium unus, & idem finis est atq; principium.
- XIII. In alimento medicina optimum.
- XIV. In alimento medicina pessimum.

Μόνω τῷ Θεῷ δ' ἔξα.